DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

2

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS M'DOUGLE,

BERVICENSIS;

UNUS E COLLEGIO REGIO CHIRURGORUM LONDONENSI.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

By slow, and silent, but resistless sap,
In his pale progress gently gaining ground,
——— in spite of art. YOUNG.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

1801.

VIRO EXIMIO,

GULIELMO BLIZZARD, ARMIGERO,

NOSOCOMIÆ LONDINENSIS CHIRURGO,

ARTEM CHIRURGICAM

PER MULTOS ANNOS SUMMA LAUDE

EXERCENTI,

ÆQUE AC DOCENTI;

HOC OPUSCULUM

SACRUM VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

AUCTORE JACOBO M'DOUGLE.

PULMONES organa quàm maxumi in corpore momenti; quippe in quos propellatur totus à reliquo corpore ſanguis ad dextrum ventriculum cordis redux, miras in iiſdem mutationes, aëris cæli actionis ope, ſubiturus. Hos itaque multis morbis, et gravibus quidem, ſæpe laborare minimè mirandum. Ex his unus, Phthiſis ſcilicet Pulmonalis, hujus tentaminis argumentum, ſtat ſelectus. Nulla forſan orbis regione adeo quam in hac inſula frequens; nullo certè alio morbo tanta vis noſtrûm proſterni-

tur. Ad talem crebritatem cæli intemperiem multùm conferre nequaquam dubitandum, ejus autem mutabilitas, tùm quod ad humiditatem, cùm ad calorem, frigusque, multo plus; nam in regionibus septentrionalibus, ubi cælum stabiliùs manet, phthisis multò rariùs quam apud nos invenitur.

Hunc in opere nosologico Culleni characterem morbi habemus. "Corporis emaciatio et "debilitas, cum tussi, febre hectica et plerum-"que expectoratione purulenta." Huic forsan adjicere liceat; in pectore dolor, qui sanè utplurimum, sic et dyspnœa, quæ semper adsit. Expectoratio purulenta plerumque non adest, nisi in stadio morbi provectiori; neque tum semper, nam pus in vomica inclusum diu, vel etiam ad mortem usque interdum, possit manere; neque quidem à muco semper est dignoscendum; ad hoc enim experimenta usitata fallacia haud rarò videntur.

HISTORIA.

HISTORIA.

Inter pubertatem et annum trigefimum quintum præcipuè graffatur ; aliquando autem in teneri ætate pueros, neque raró homines ætate provectiori abripit.

Illis qui fæpiffimè hoc morbò laborant forma eft exilis, thorax arctus, cutis lævis et color faciei rofeus ; in primis vitæ temporibus hæmorrhagia narium frequens fermè fuit, vel glandularum lymphaticarum tumore et ulceratione fcrophula fe oftendit ; eos porrò, quorum parentes eodem morbo laboravere, magnoperè aggreditur ; feminas magis quam viros. Color faciei rofeus non femper obtinet, fæpe enim pallor et languor eminent.

In tali præditis formâ, crafique fupra delineata, tuffis ficca poft decubitum præcipuè molefta, cum laffitudine infolita et univerfali, primum plerumque indicium mali ineuntis. Hanc ponderis vel anguftiæ in pectore fenfus, cum in

quadam

quadam thoracis parte dolore, mox comitatur; frigoris molestè fertur gradus, sano haud ingratus: in latus dolore affectum ægrè decumbitur, et licèt nullus adsit dolor, decubitus in unum laterum plerumque difficilis. † Respiratio post pastum, vel corporis exercitationem præcipuè festinatur; pulsus frequens est, et initio durus; algore atque calore fugaci æger afficitur, qui tandem in febris hecticæ exacerbationes regulares vespertinas desinant, quas progrediente morbo sudores profusi, non semper totum corpus, sed caput pectusque potius occupantes, sequuntur; his corpus debile admodum fit et valde marcescit. Ad meridiem quoque exacerbatio adest, sed multò minus notabilis quàm vespertina;

† Nonnunquam etsi magna fuerit strages pulmonibus nullus adfuit dolor. "In cadaveribus non-"nullorum phthisicorum, qui dum in vivis agerent, "de nullo pectoris dolore conquesti fuerant; occur-"rebant in pulmonibus ulcera insignia, cum maxi-"ma partis consumptione." LIEUTAUD, tom. i. 489.

vespertina; hæc horam quintam circiter advenit: facies pallida est nisi in media gena, ubi rubor circumscriptus, ingravescente hectica auctus: urina rubra est, sedimentum deponens, quod imum vas vix unquam attingat: post pastum vel tussim nonnunquam vomitur: sanguis è brachio missus superficiem coriaceam albam per totum morbi decursum sæpe exhibet.

Progrediente morbo, tussis dura ac scindens quasi fit, atque expectoratione purulenta fermè stipatur, varii scilicet coloris, subflavi, viridisque, fætorem exhalante, in aquam immissa haud æquè ac muco cohærente, sed superficiem laceram ostendente; hæc aliquando sanguinis paululo misceatur, sed rariùs magnâ copiâ: concretiones calcareæ, sed minimè frequenter, è pulmonibus tussi rejiciuntur. Horrores frequentes ægrum concutiunt: lingua et fauces valdè rubescunt, et morbi finem versus aphthis occupantur: cibi appetitus non tantùm imminuitur quàm in aliis morbis febrilibus solet: sæpe in decursu morbi dysuria fit: constipatio plerum-

qu

que in progreſſu adeſt, ſed in ultimis ſtadiis diarrhœa ſupervenit, alii ſine diarrhœa moriuntur, alii paucis poſt ejus adventum diebus, et quando ſe oſtenderit ſemper ferè deſperandum: rarò diarrhœa et ſudores eodem tempore adſunt, hi enim cum illa potius alternant. Propter debilitatem tument pedes et ima crura; tantaque eſt macies ante mortem, ut, in iis, qui diu decubuerint, oſſa ilium et ſacrum cutem quâ teguntur perforant; decidunt capilli, ungues curvantur. Spe valetudinis ſecundæ animus ferè ſemper illuditur. Mens integra manet uſque ad paucos dies ante mortem, ubi haud rarò delirium advenit quod ad exitum perſtet.

A ſuffocatione moritur interdum, nempe ubi magnæ vomicæ pus, bronchiis eroſis, in tracheam ruat, ægro tam debili jam facto ut idem excreare nequeat.

Nonnunquam à magno vaſe pulmonali rupto anima efflatur.

Tali modo incedit plerumque morbus: in hieme vel ineunte vere, mutabili admodùm tempeſtate,

peſtate, præcipuè ſe oſtendit; in æſtivo tempore haud raró omnia ſigna mitiora ſiunt, vel omninò amoveri videantur, donec redeat hiems, cum malum iterum ingraveſcat; et multis ſimilibus aggreſſionibus, temporis mitioris acceſſu ſolvendis, idem tentari poſſit antequam formam ſæviſſimam induat morbus.

SECTIO CADAVERUM.

Inſpecto poſt mortem thorace, adhæſiones pleuram coſtalem inter et pulmonalem primo obſervantur, quæ ſanè his in regionibus tam crebrè reperiuntur in ætate provectiori, ut vix inter morbi ſigna recenſeri debeant: partes interiores perſcrutando ſcalpello, tubercula plerumque deteguntur, alia adhuc ſolida, alia mutata in pus, haud quale apud chirurgos laudabile nuncupatur, ſed materiem caſeoſam latici mixtam; illa ſunt dura corpora et rotunda, atque cum inciſa ſint colore ſubalbido; primùm admodum parva, ſed ad piſi magnitudinem creſcunt; nullam

lam capsulam sibi propriam habere dicuntur; glandulæ induratæ olim credebantur, hoc autem nuper fuit negatum, quod in membrana pulmonum cellulari nullæ glandulæ adhuc sunt repertæ; haud exinde tamen pro certo ducere fas est tales non existere, in sano enim homine tam parvæ esse possint ut observationem eludant; ad hanc itaque opinionem antiquiorem, ob nexum phthisin inter et scrophulam, (morbum glandulas lymphaticas maxumè afficientem), et similitudinem glandulas mesenterii morbosas || inter et tubercula, ipse haud parùm propensus. Aliquando multò grandiora fiunt; sic apud Morgagnum descriptum habemus, "durum substantiam ad pyri majoris magnitudinem, quæ substantiam indurati pancreatis quodammodo referebat, in ejusque medio parvum ulcus puris plenum; †" hæc autem constitit

|| Vide Letter from Mr. Bowles—*Beddoes on Consumption.*

† Epist. xxii. 15.

conſtitit probabilè multis minoribus tuberculis ſimul concretis. Nonnunquam plurimæ congeries ſimul concreviſſe videntur, unà magnâ vomicâ ſic formatâ, magnam pulmonis partem occupante: vaſa ſanguiſera, ubi tales abſceſſus introeunt, oſtia contracta, vel omninò clauſa habent; hinc ratio eſt petenda cur hæmorrhagia profuſa tam rarò in phthiſi ſit, ubi, propter abundantiam in pulmonibus vaſorum ſanguinem vehentium, aliter frequentiſſima foret: concretiones calcareæ et in pulmonibus ipſis et glandulis bronchiarum aliquando conſpiciuntur: ſeri eſſuſio, ob vaſa impedita, haud inſolita eſt. Tabem meſentericam cum phthiſi adfuiſſe haud rarò diſcimus à glandulis meſeraicis inflammatis vel ſuppuratis, quæ in utroque ſtatu admodum ſimiles ſunt tuberculis.

DIAGNOSIS.

A catarrho difficiliùs quàm alio quovis morbo dignoſcitur; ab hoc autem phthiſis primo ſtadio diſtinguitur quando tuſſis primùm levis fuerit et gradatim increverit, ſine narium ſecretione aucta, et quando expectoratio nulla, vel non niſi pituitæ paululum tuſſim inſequatur, poſtremò ubi diutiùs permanſerit quàm catarrhus ſolet; interdum ſanè à vero catarrho poteſt oriri, quod diagnoſeos difficultatem multùm augeat. In ſtadio provectiori febris hectica phthiſin maxumè diſtinguit, vera hectica enim nunquam in catarrho adeſt; huic expectoratio purulenta adjici poſſit, ſed, ut ſuprà diximus, hæc à muco è pulmone ejecto non ſemper diſtinguitur; eſt tamen ubi putatur certè diſtingui poſſe.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Inter caufas, quæ corpus phthifi obnoxium reddant eft debilitas, five congenita, vel ab alio morbo orta, vel ab ufu remediorum infirmantium; ufus arfenici in febribus intermittentibus hunc effectum habere dicitur; primum tamen inter caufas prædifponentes locum habet labes fcrophulofa hæreditaria; hîc quoque recenferi debet forma corporis exilis, de qua fupra egimus, et temperamentum hæmorrhagicum.

CAUSÆ EXCITANTES.

Quicquid pulmonibus adhibitum eos ad materiem fecernendam, quam vafa abforbentia haud auferant, phthifeos caufa excitans effe poffit; hinc ratio eft petenda ejus crebritatis apud opifices quafdam pulveri admodum fubjectos, quales

les ſunt linipolæ et lapicidæ. Simili ferè modo perito phyſiologo † morbus cani datus eſt:—Sectâ venâ hydrargyri injecit drachmas duas; duobus poſt diebus, febris, pulſus frequens et durus, cum dyſpnœa adfuerunt, et brevi tempore canis mortuus eſt: aperto thorace tubercula ſunt conſpecta, alia jam purulenta, alia adhuc dura et horum utriuſque in medio globulus hydrargyri. Frequentiſſima autem cauſarum excitantium eſt frigus corpori applicatum; huic veſtitus tenuis apud nos uſurpatus, ſexu præcipuè altero, admodum favet: aër frigidus plus nocet cuti applicatus quam pulmonibus, hi enim, modo corpus calidius veſtiatur raro aliquid detrimenti inde accipiant. Exanthemata nonnunquam phthiſin inducunt: aſthma quoque ſæpe in eam deſinit: ſuppreſſio menſium cauſa fuit exiſtumata, plerumque autem talis ſuppreſſio à corporis affectu, magis quam hic ab illa pendet.

Annon

† Dr. Haighton.

Annon unquam apud nos contagiosa sit, medicis dubium; apud Hispalienses autem tantum hoc suadetur, ut mortuorum vestimenta leges incendi jubeant: plerumque ubi à contagione hic visa fuerit orta, aliam causam, ut nimiam defatigationem, frigori objectionem, in ægro curando, vigilando, eandem suscitasse, cum clar. Gregorio sentimus: non desunt tamen viri summâ observantiâ, qui hic quoque contagiosam esse nonnunquam opinantur, atque maritos, cum fœminis phthisicis decumbentes, eam exinde accepisse.

CAUSA PROXIMA.

Sunt qui crediderunt varietatem esse phthiseos sine ulcere pulmonis, materia purulenta a membrana cellulas tegente secreta. Post inflammationem empyema nonnunquam fieri, integra pleura, clar. G. Hunter jampridem monstravit: constat quoque ex plurimis sectionibus nullum adfuisse ulcus in pulmonibus nonnullorum om-

nia

nia dum viverent phthiſeos ſigna habentium; fas eſt credere propterea talem varietatem aliquando fieri.

Ulcus tamen in pulmone plerumque adeſt, et oriri videtur a tribus præcipuè cauſis, pneumonia nempe, hæmoptyſi, et tuberculis.

Pneumonia, modo remedia tempeſtivè adhibeantur, rarò uſque ad ſuppurationem incedit, vel licèt hoc acciderit, pulmone aliter ſano, vomica excreata, quamvis plurima phthiſeos ſigna adſint, ulcus brevi tempore ſanari poſſit; eos contra, quibus phthiſi proclivitas, ſuppuratio poſt pneumoniam ſummo jactabit periculo.

Ulcus in pulmone fieri per vaſa in hæmoptyſi frequenter rupta alii putavere; alii majore vereſimilitudine, ſanguinem effuſum et acrem factum ulcerationem partium vicinarum inducere poſſe. Hæmoptyſis autem in eodem ferè temperamento, eodemque vitæ tempore ac phthiſis ſe oſtendit; haud raro itaque, quando hanc induxiſſe potuerit videri, comes tantum indolis phthiſicæ fuerit; et quomodo tubercula hæmoptyſin,

ptysin, brevì in phthisin abituram, inducere possint, facilè intelligetur.

Tubercula frequentissima longè ulceris in pulmone, et phthiseos exinde sunt causa †; in iis à stirpe scrophulosa ortis maxumè inveniuntur, sed alios quoque adoriuntur: primo adeo sunt minuta ut diu manere possint sine magno incommodo; tandem verò, ab aliqua irritatione fortuita, inflammantur, suppurant et morbum pessimâ formâ inducunt. ‡

RATIO

† Dr. F. Simmons affirmat quod pulmonibus quamplurium, a Phthisi jugulatorum, atque seipso post mortem inspectorum, tubercula nunquam omnino abessent.

‡ A scorbuto insuper ulcus pulmonis nonnunquam fit. "In cadaveribus variorum scorbutico-" rum, pulmones inveniebantur purulenti, arctè " pleuræ, mediastino, pericardio et diaphragmati " hærentes."

Ex Actis Paris:—Vide LIEUTAUD.

RATIO SYMPTOMATUM.

Ab irritatione tuberculorum inflammatorum vel puris pendet tuſſis; dolor ab inflammatione; à pulmonibus infarctis, ſanguinis motum et aëris aditum impedientibus, dyſpnœa; tuſſis poſt decubitum magis vexat, quia tum veſtes calefactas exuat, lectum frigidiorem intret æger; in latus affectum ægrè decumbitur, forſan quod ſanguis majori vi illuc tum propellatur; febris hectica ab irritatione puris abſorpti; ab hectica ſudores colliquativi et debilitas; vomitus a nexu pulmones inter et ventriculum; corporis emaciatio ab adipe, et fibrarum muſculoſarum fortaſſis parte, abſorpta; pedum tumor à debilitate, ſicut ungues curvati et delapſi crines; diarrhœa à pure acri ad inteſtina tranſlato pendet.

Etſi dixerimus hecticam à pure abſorpto oriri, nequaquam opinamur hoc unicam eſſe cauſam hecticæ; ab irritatione enim et debilitate, nul-

la

la ſuppuratione facta, ſæpe naſci videtur, atque tum idiopathica plerumque eſt habenda.

PROGNOSIS.

Eorum, qui in hunc morbum vere implicati fuerint tam exigua pars vel naturâ, vel arte eripitur, ut prognoſis ſemper ſit infauſta; maxumè autem quando ſudores profuſi ſint, ſimul cum diarrhœa, corpore admodum marceſcente, viribuſque altè fractis, ſi his accedat delirium, actum eſt.

Minus infauſta verò eſt putanda, ſi non diu permanſerit morbus, neque hæreditarius, ſudoribus nullis, vel lenioribus tantùm ſtipatus, ægro haud multùm infirmato, atque veniente æſtate refecto. Nonnulli poſt peſſima ferè ſigna convaleſcunt; indicia nulla tamen prodere poſſimus, à quibus hoc tam felix augurium ſit ducendum. Ab alia cauſa quam tuberculis felicior æſtimatur; de hoc autem vix liquet. Mania ſuperveniente ſiſtitur, nonnunquam tollitur. Gravidæ phthiſi

affectæ rarò moriuntur antequam partum edant; et a clar. Gregorio accepimus, se fæminas vidisse per plures partus vitam sustinentes, post ejus aggressum, infantes quoque lactantes, et sic sine alio remedio prorsus tandem sanatas.

RATIO MEDENDI.

Omnia remedia, ad phthisin confirmatam debellandam hucusque adhibita, semper ferè spem fefellerunt; nam etsi post gravia etiam symptomata nonnulli, ut supra diximus, convalescant, naturæ viribus magis quàm arti hoc est tribuendum. Multum curæ igitur est adhibendum ut contra ejus aditum præcaveatur, vestitu calido utendo, frigori expositione evitanda, corpore exercitatione et diæta idonea roborando.

In phthisi incipiente, licèt multum metuenda, feliciori exitu nonnunquam certatur.

Quando inflammatio in lateris dolore, tussi, pulsu duro et frequentiori, se primum ostenderit, illi adversari oportet venæsectione tempestivè adhibita,

hibita, et cautè, ne inde infirmior fiat æger, diæta mitiori, epifpafticis juxta doloris fedem impofitis. Opinatur Simmons balneum, non ultra gradum 92^{m}. calefactum, in hoc ftadio haud parùm prodeffe, urgente tuffi et fignis inflammationis: in balneo brevi tantum eft manendum, poftea decumbendum, fed non ad ciendum fudorem.

Si his remediis malum cedere recufet, ad cælum fervidius, modo res finant, iter per mare eft faciendum. Hoc quidem præftantiffimum eft remedium quod adhuc novimus, ineunte morbo præfertim. Variis modis prodeffe videtur; exercitatio, navigando nocte dieque, fit conftans, nec vires exhaurit, adeo ut commoda fibi propria habeat. Naufea quoque et vomitus, navis motu excitatus, plurimùm prodeft; et quamvis fæpe repetita debilitas inde oriatur, ftatim poft iter perfectum, vel ventriculi malum fubactum, æger reficitur et majori robore valitudineque plerumque gaudet. Vix igitur dubitandum quod maxuma pars commodi, a cæli

mutation-

mutatione capti, exercitationi et vomitui inter navigandum ſit tribuenda.

Si migrare non liceat, urbs tamen eſt fugienda, ut in aliqua ruris parte ſalubri, cælo nempe arido et blando, degatur.

Aliæ exercitationis ſpecies multùm proſunt, equitatio præſertim; hoc eſt remedium quod tam egregrie, et quidem plus juſto laudavit Sydenham; mane tantum uſurpandum, veſpere enim plerumque nocet. Si his debilitas obſtet, vel alia cauſa, frictio forſan vice earum poſſit uſurpari.

Diæta mitis plerumque eſſe debet, ex vegetabilibus, frugibus et lacte confecta; ſed ſi temperamentum ſit pituitoſum, cibus partim ex animalibus, et vini aquæ mixti pauxillum eſt concedendum; pleriſque ſanè ægris cibi animalis nonnihil, atque gelatenoſi et teſtacei præ alio, poſſit dari ſine incommodo.

Lac nullis dotibus gaudet ſpecificis, eſt autem anteponendum aliis cibariis, quia multum nutrimento præbet, ſine ſtimulo cibum merè

animalem comitante, quem inter et vegetabilia medium locum tenet.

Centum jam anni præteriere a primo digitalis ufu in medicina: in opere cujufdam Salmon, anno 1710 edito, hæc in phthifi pulmonali commendatur; poftea autem defueta, vires ejus latebant, donec Dr. Withering eandem reduxit in ufum. Sed quamvis in aliis morbis, hydrope præfertim, eximium fit remedium, neutiquam in phthifi fummas laudes æquat, quibus à medico haud parvi nominis nuper fuit commendata: experientia enim aliorum (et nunc haud pauci ea ufi funt) docet pulfum minus frequentem plerumque fieri ab ejus ufu, aliaque fymptomata evadere nonnunquam mitiora, vix unquam autem quod accepimus, phthifin confirmatum inde radicitùs fanari. Ad eam adhuc recentem debellandam tamen nonnihil valere videatur digitalis; conftat enim vitam ejus ope fuiffe productam, quod efficere videtur pulfûs crebritate refrænanda, abforptione promovenda; non indigna ergo periculo ulteriori: dofis parva primùm effe debet, guttæ fcilicet quinque vel de-

cem

cem tincturæ saturatæ ter in die, et hæc gradatim augeri queat usque ad quadraginta; si ventriculus rejiciat, vel instet vertigo, intermitti, vel saltem minui oportet.

Cortice cinchonæ febris hectica aliquando sisti potest, brevì autem recurrit; tussis quoque et lateris dolor ex ejus usu ingravescunt, ideóque nunquam ferè est utenda. Similitudo febrem remittentem inter et hecticam hoc remedium primo aspectu suadet; sed symptomatica tantùm hic est, eoque cinchona haud prodest, at ubi idiopathica et à debilitate orta, ut in atrophia lactantium, non dubitandum quin multum commodi ab ea ducatur.

Cicuta, remedium deobstruens nuncupata, exinde phthisicis fuit exhibita, et nonnullis medicis placet eam cum fructu posse usurpari.

Hydrargyrus, nisi in quibusdam raris exemplis a syphilitide ortis, neutiquam prodest.

Balsama olim usurpata stimulando nocent, ideóque vitanda.

Emetica plurimùm valent; pulmones exonerant expectoratione promovenda, fluidis ad superficiem

perficiem dirigendis; harum ufu repetito malum non folùm levatur, fed fæpe etiam retardatur, imo nonnunquam omninò forfan amovetur. Ipecacuanha in hunc finem ufurpari queat, fulphas cupri autem, vel zinci maxumè habetur idoneum; hoc vomitum inftanter excitat et nulla ferè naufea fequitur, quæ poft alia emetica gravis nonnunquam manet, et multùm vexat, nunquam catharfin fufcitat, contrà autem, fi diarrhœa jam adfit, eandem cohibet, neque ventriculus exinde, pariter ac vomitoriis plerifque, debilior fit; quantitas pro dofi inter grana decem et triginta jacet, grana quindecim fufficiunt plerumque: fulphatis cupri dofis variat à granis duobus ad decem vel quindecim ufque: aquæ unciæ fex vel octo priùs funt hauriendæ quàm hoc vel fulphas zinci fumatur.

Epifpaftica, urgente lateris dolore, ad eundem levandum fæpe funt adhibenda; expectorationem quoque adjuvant et fluida derivant à pulmonibus: hâc ratione profunt quoque fonticuli et fetacea.

Præter remediorum de quibus fupra egimus

ufum,

usum, ad symptomata singulatim sublevanda animum intendere oportet, sæpe enim hoc solùm medico facere liceat. Tussis opio optimè levatur, in forma trochisci glycyrrhizæ cum opio. Frustra diarrhœa catharticis, ut rheo, tentatur, laxantia enim vix dari possunt, ob constipationem, sine periculo diarrhœam suscitandi; meliùs cohibetur opio, kino, et catechu, parvâ quantitate cum mucilagine conjunctis, et frugibus subacidis maturis, quæ licèt plerumque laxent diversum effectum hîc præstant. Vaporibus aquæ calidæ in pulmones exceptis expectoratio facilior evadit. Haustibus effervescentibus compescitur vomitus; sudores acido sulphurico; æthere dyspnœa.

Gas hydrocarbonium inhalatum, aëre atmospherico prius dilutum, levamen aliquid ut anodynum præbet et somnum conciliat, eoque usurpari possit, sed citra hoc nihil videtur valere. Gas acidum carbonicum similes fermè effectus monstrat, fœtorem quoque puris ejecti multùm imminuit.

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.